

STUDI E DOCUMENTI DI STORIA E LITURGIA

— XVIII —

AGOSTINO VALIER

VISITE PASTORALI
a chiese extraurbane della diocesi di Verona
anni 1592 - 1599

Trascrizione dei Registri XV - XVI delle Visite Pastorali
A cura dell'Archivio Storico della Curia Diocesana di Verona



VERONA
Archivio Storico Curia Diocesana
Piazza Duomo, 19
MM

nus opus sit denuo promittit ac se successoresque suos in dicta ecclesia bona que omnia ipsius ecclesiae pro observatione omnium contentorum in dicto decreto omni meliori modo in perpetuum obligavit et obligat.

[f.64v] **Insula** (*nel testo è disegnata una scala*) - Die mercurii, mane, 25 mensis novembris 1592. Reverendissimus dominus episcopus antedictus ad parochialem et archipresbiteralem ecclesiam Sancti Stephani Insulae Scalarum, summo mane, sociatus ut antea, pervenit, reverenter sub umbella, precedentibus multis presbiteris et clericis, sequenteque magna populi multitudine, a reverendo domino Silvano Cocconio, dictae ecclesiae archipresbitero exceptus. Ad cuius ecclesiae fores, osculata cruce, adoravit sanctissimum Sacramentum, ad altare maius honorifice conservatum; deinde reverendus pater Franciscus Grana antedictus contionem ad populum habuit, qua non solum populum ipsum a peccatis abstinere hortatus est, sed etiam ad pia et sancta opera exercenda. Postea prefatus reverendissimus dominus episcopus pie et devote missam celebravit, cimiterium pro defunctis orando circuivit et tandem populo astanti benedixit. Die antedicta, post nonam. Ipse reverendissimus dominus episcopus, pontificalibus indutus, in antedicta ecclesia sermonem ad frequentissimum populum habuit; quo perfecto, ministravit sanctissimum chrismatis sacramentum circa quatuorcentum inter mares et feminas. Deinde visitavit locum pro sacrario videntique nonnullas sacerdotiales vestes aliaque pro divino cultu apparamenta; iussit tamen et ordinavit ut infra. Ordinata: aptentur camices iam vetustate fere lacerati; fiant vela pro calicibus bina quoque colore; fiat vas nucis pro hostiis conservandis; aliud vasculum plumbeum pro conservando oleo ad infirmos; fiat arcula lignea et bursa pro alio vasculo argenti; [f.65] provideatur de sudariolis X pro lavabo ac de purificatoriis 24; aptetur planeta viridis sericea et provideatur de sua stola; fiat planeta nigra sericea; fiant planetae feriales omnium colorum et tot sericeae; fiat paramentum rubeum sericeum tertiatum; ematur antiphonarium; provideatur de mappis tribus pro quoque altari; fiat pluviale rubrum sericeum; provideatur de paliis coriaceis inauratis ad omnia altaria ecclesiae ac de sex corporalibus et cetera. Visitavit insuper altare sancti Blasii, cum lapide sacro, cuius curam gerit venerabilis dominus Petrus Paulus Venturinus, rector ecclesiae Sanctae Mariae antiquae Veronae, quod habet dotem in tot fundis; aptetur seu renovetur pala dicti altaris, in reliquis bene tenti. Altare sanctae Catharinae, cum lapide sacro, quem ob angustiam amoveri iussit, nec in eo celebrari nisi prius provisum fuerit de alio idoneo lapide; altare habet dotem. Altare sanctae Luciae, sub organo ecclesiae positum, quod omnino amoveri iussit. Altare sancti Laurentii, cum lapide sacro, sine dote, cuius palam fieri iussit ac quatuor pulvinaria. Altare beatissimae virginis Mariae, bene tentum, sine dote. Altare sancti Antonii, cum lapide sacro, quem adaequari ipsi altari iussit et fieri palam; et quia sacrarium nondum extrectum videtur, iussit quanto citius illud decenter aedicari. Fiant fores ad [h]ostia caemeterii, seu crates, ne bruta illud ingredi valeant. [f.65v] Quibus peractis, vocato

reverendo domino archipresbitero predicto, eum interrogavit quot habeat capellanos in eius ecclesia quotque clericos; qui respondit: *in questa chiesa vi sono due cappellani amovibili, salariati dal commune et al presente sono un don Zuane ... , venuto novamente et un don Paulo de Allegri da Sorgà, quali sono homini da bene et diligenti nel ministrar gli sacramenti; vi sono anco dieci clerici, persone da bene.* Interrogatus de societatibus, respondit: *vi è la compagnia della Disciplina, nella quale si riducono gli disciplinati a far penitentia; la compagnia della Carità, della quale si sono resi gli conti alla mia presenza, ma non ho però anchora havuto la chiave; la compagnia della Madonna del rosario, gli danari della quale stanno sul Monte, ma però dubito che se ne prestino tra gli homini che maneggiano, benché una volta habbiano fatti gli conti alla mia presenza.* Dicens ex se: *vi è anco la fabrica, la quale, per quanto ho inteso, ha d'entrata trecento scudi et ha obbligo per ogni spesa che occorra nella chiesa, ma io non ho però mai visto gli conti di questa fabrica, né so in che si spendano le entrate, salvo che so che il massaro tira alcuni fittaroli per spender in chiesa. Il commun poi tira il resto, lf.66l ch' è una portion di decima.* Dicens etiam: *vi è anco il monte di Pietà, il quale non so come si governi.* Dicens interrogatus: *io non so che vi siano legati di alcuna sorte, né meno indulgentie.* Tunc reverendissimus dominus episcopus iussit erigi societatem beatissimi corporis domini nostri Iesu Christi et decenter perpetuis temporibus teneri, pro ut conveniens est. Postea vidit et adoravit sanctissimum Sacramentum, ad altare maius in pixide deaurata bene tenuit. Vedit etiam fontem baptismalem, bene conservatum. Die iovis, mane, XXVI mensis novembbris 1592. Hospitale Misericordiae - Admodum reverendus dominus vicarius summo mane surexit et, mandato reverendissimi episcopi, visitavit hospitale Misericordiae, sub parochiali antedicti loci Insulae Scalarum, cuius curam, ut dictum fuit, habet venerabilis domus Misericordiae Veronae possidetque eleemosinas omniaque emolumenta, quae tamen pauca sunt quia nihil habet in bonis. Unicum in eo altare tenetur, raro missa celebratur; non habet bona mobilia, non capsas, non cubilia ne<c> alia huiusmodi. Hospitale beatae Mariae virginis - Visitavit etiam aliud hospitale beatae Mariae virginis, sub eadem parochiali, vocatum della Bastia, ubi saepe missa celebratur, cuius dominus est dominus Aloysius Pantheus, civis veronensis et, pro ut ibi dictum fuit, habuit investituram per litteras apostolicas. Ecclesia dicti hospitalis est vetustate fere consumpta; habet tamen altaria duo, super quibus caelebratur. Hospitale nec peregrinos nec incolas hospitatur. |f.66v| Sanctus Vincentius - Visitavit insuper ecclesiam Sancti Vincentii, prope ipsam parochiale sitam, cuius regimenter habent homines communis, qui vocantur disciplinati, videlicet societas ipsius Disciplinae. Ecclesia nulos habet introitus, sed eleemosinis tantum viget; habet altare

sancti Vincentii, cum lapide sacro. Interim reverendissimus dominus episcopus antedictus missam in antedicta parochiali ecclesia celebravit posteaque ad centum chrismatis sacramento confirmavit. Die iovis predicta, post nonam, 26 novembris [1593]<1592>. Reverendus admodum dominus vicarius, vocatis domino Hieronimo, quondam domini Mathei Trivellae de Sancto Egidio Veronae, habitatore tamen continuis temporibus in loco Insulae Scalarum ac prudenti Ioanne Paulo, quondam Petri Clerici de dicto loco eisdemque separatim, delato iuramento de veritate respondenda separatimque interrogati de sufficientia, diligentia, vita et moribus tam reverendi archipresbiteri quam aliorum presbiterorum, responderunt tam reverendum dominum archipresbiterum quam venerabiles capellanos summa uti diligentia in administrandis sacramentis, recte eos christianam doctrinam docere et in omnibus recte eorum officio fungi et cetera. Interim reverendissimus dominus episcopus ministravit sacramentum confirmationis circa centum inter mares et feminas et prefatus reverendus dominus vicarius, habita notitia suprascriptum Ioannem Paulum quondam Petri Clerici teneri, vigore cuiusdam legati, aedicare sacram aediculam in antedicto loco Insulae, eundem vocavit et admonuit ad se Veronam conferendum pro perficienda dicta ecclesia.

|f.67| Pisceria - Die sabbathi, mane, XVIII mensis iunii 1593. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus cardinalis episcopusque Veronae et comes, post eius ab Urbe reditum, magnopere quasdam suae veronensis dioecesis ecclesias visitare cupiens, Verona discedens, a quamplurimis sociatus, presertim vero ab eius reverendissimo domino coadiutore antedicto nec non a reverendis dominis Petro Stridonio, eius in spiritualibus et temporalibus vicario generali ... Amaltheo ... Bonacurto, societatis Iesu, Angelo Rato ac multis aliis familiaribus suis, Pisceriam, oppidum penes Benacum, pervenit, ubi maximo exceptus applausu a clarissimo domino ... , eiusdem loci pro serenissima republica veneta procuratore et insimul a reverendo domino ... , archipresbitero ecclesiae parochiali, sub titulo Sancti Martini, sub umbella, magna presbiterorum ac populi concomitante multitudine, accessit ad ipsam ecclesiam, quam, osculata ad fores cruce, ingressus, adoravit sanctissimum Sacramentum ad altare maius illudque in pixide aurata recte conservatum invenit. Postea, populo benedicto, cum iam sol altius progredetur, domum predicti clarissimi domini provisoris concessit ibique prandium cum omnibus fere aliis sumpsit. Die antedicta, post nonas. Admodum reverendus dominus vicarius generalis antedictus, mandato et cetera, in antedicta ecclesia visitavit fontem baptismalem, ubi vas nucis pro oleis conservandis comparari iussit. Vedit altare maius, cum altari portatili, bene servatum. Altare beatae Mariae virginis, sacrum, cuius curam habet venerabilis societas sancti Rochi et est bene tentum. Altare sanctissimi Sacramenti, sacrum, non bene custoditum a societate eiusdem sanctissimi Sacramenti; et ob angustiam lapidis sacri |f.67v|

et provideri de ampliori ac aequari mensam altaris a societate beatae Virginis, quae altare predictum manuteneret; vidit etiam sacrarium, ubi fieri infrascripta iussit. Ordinata: fiant planetae feriales omnium colorum, fiant planetae sericeae viridis et violacea, fiat camix cum amito et funiculo; fiant duo corporalia, fiant vela pro calicibus omnium colorum; fiat tabernaculum pulchrius et decentius pro sanctissimo sacramento Eucharistiae; inauretur denuo unus ex calicibus cum patena, fiant vascula plumbea pro oleis sanctis et capsula nucis; fiat vasculum nucis pro vasculo olei infirmorum, fiat capsula pro oleis hebdomadae sanctae; provideatur de chrcifixo ad altare maius; provideatur de libris baptizandorum et matrimoniorum in folio cum alphabetis ac notae iam scriptae trascribantur et servetur forma constitutionum; iussum fuit etiam a communi aedificari sacrarium. Vocatus etiam venerabilis rector antedictus coram predicto reverendo domino vicario, fuit interrogatus quot sint animae in eius parochia: respondit haberi animas a communione circa 85, in totum vero centum quinquaginta. Interrogatus an sub eius cura adsint haeretici, scismatici, concubinarii aut alii publici peccatores, respondit nihil tale haberi, cum omnes pie et catholice vivant; ipsum vero et doctrinam pueros doceret **[f.81]** et reliqua munera sibi iniuncta semper exercere; societates sanctissimi corporis Domini nostri et beatae Mariae virginis recte teneri. Vocati etiam Thomas, quondam Petri de Vianis, annorum 51 ac Pompeius, quondam Ioannis a Platea, annorum 67 de dicto loco iuratique ac interrogati separatim, responderunt ad interrogationem rectorem ecclesiae magna ut diligentia in sacramentis administrandis, infirmis visitandis, pueris docendis ac aliis omnibus peragendis quae officio suo spectant, eidem sumam diligentiae laudem tribuendo.

Sancta Maria in Stellis - Die predicta, post nonam, 20 augusti 1593 [post nonas]. Antedictus reverendissimus episcopus cum aliis e villa Romagnani, sumpto prandio, discessit et ad villam Sanctae Mariae in Stellis vocatam pervenit, ubi in domo venerabilis don Anthei mediolanensis, rectoris ecclesiae parochialis Sanctae Mariae predictae, ea nocte aquievit. Posteraque die XXI mensis predicti hora fere tertiarum, osculata ad fores cruce sibi a predicto reverendo domino rectore porecta, intravit in ecclesiam predictam et ad altare maius adoravit sanctissimum Sacramentum illudque in pixide aurata bene conservatum invenit; deinde concionem pro suggestu antedicti patris Francisci Granae ad populum habitam audivit ipseque de more sanctissimum missae sacrificium pie celebravit sermonemque ad eundem populum habuit ac deinde pro defunctis orando caemeterium circuivit et demum chrismate sacro confirmavit circa centum. Quibus peractis, visitavit fontem baptismalem, bene conservatum. **[f.81v]** Interim vero multum reverendus dominus vicarius visitavit altare maius, non sacrum, satis bene tentum, cui tamen aequari mensam iussit. Altare sanctae Catherineae, magnifici comitis Iusti de Iustis, cuius pater eidem reliquit ducatos 25 in anno, cum obligatione duarum missarum singulis hebdomadis; non est sacrum, sed habet

altare portatile et manutenetur a rectore. Altare illorum de Cerviis, sub titulo sancti Antonii, qui omni anno solvere tenentur ducatos 7; cui altari iussum fuit non celebrari nisi prius provisum fuerit de altari portatili, de candelabris, de cruce ac de aliis ad ipsius decorem et ornamentum pertinentibus. Altare beatae Mariae virginis, quod a societate eiusdem beatae Virginis satis recte tenetur, cui lapidem sacrum aptari pro ut convenit iussum fuit. Visitavit postea sacrarium, non planetis reliquisque sacerdotalibus appartenens pro ut convenit ornatum, quapropter iussum fuit provideri de infra
scriptis. Ordinata: fiant planetae feriales, videlicet viridis, rubra, violacea; renoventur vascula plumbea pro oleis, iuxta consuetudinem; fiat vasculum nucis pro oleo sancto, fiant sudarioli pro lavabo 4, provideatur de mappis ad altaria societatum; renoventur libri baptizandorum et matrimoniorum in folio cum alphabettis; fiant claves ad arcas societatum et consignentur iuxta consuetudinem, videlicet una reverendo domino rectori ecclesiae, altera massario et tertia uno ex consiliariis; aptetur murus super portam ecclesiae ubi ruvinam minari videtur. [f.82] Postea vocavit dominum rectorem antedictum illumque interogavit de numero animarum ac de introytibus; qui respondit haberi sub eius cura animas a communione circa 170, in totum circa 200; haberi autem circa ducatos 150 omni anno de introitu, computatis portione decimae et quibusdam predi*s*, ex quibus habet tertiam partem. Interrogatus an aliquid recordari velit et si sub eius cura degant haeretici, scismatici, lamiæ vel alii huiusmodi peccatores, respondit nihil quo ad se velle dicere, quia nec haereticos, nec scismaticos, nec alios peccatores similes sub eius cura habet, cum omnes catholice vivant. Interrogatus de societatibus, respondit computa omni anno coram eo fieri et temporibus debitibus officia renovari omniaque recte agi. Interrogati etiam Hieronimus quondam Baptistae Salornus, annorum circa 70 et Iacobus, quondam Hieronimi Zatoni, annorum 45, ambo de dicto loco, de vita et moribus rectoris ecclesiae predictae, habitu iuramento, separatim responderunt rectorem ecclesiae esse probum sacerdotem recteque officio suo fungi: nam et infirmos visitat et sacramenta diligenter ministrat et pueros docet christianam doctrinam nihilque unquam scandali dedisse; quo ad societas, ipsas bene administrari et populum dicti loci ecclesiae recte obtemperare.

Novagie - Die sabbati antedicta, post nonam, 21 mensis augusti 1593. Reverendissimus episcopus predictus omnesque alii cum eo discesserunt ab antedicto loco Sanctae Mariae in Stellis et, Veronam profecturi, ex itinere ad villam Novagiarum discesserunt, ubi ipse reverendissimus, visitando parochiale [f.82v] ecclesiam Sanctae Mariae Magdalene dicti loci, osculata ad fores cruce sibi a venerabili domino Bernardo ... , eiusdem ecclesiae rectore, <porrecta>, adoravit sanctissimum Sacramentum, ad altare maius in pixide aurata bene conservatum. Vedit etiam fontem baptismalem, similiter bene tentum. Postea, facta oratione cum solitis caeremoniis, christmate confirmavit circa quinquaginta. Interea reverendus dominus vicarius vidit altare maius, cui provideri iussit de altari portatili mensura ampliori. Altare sancti Leo-